

# CAPITA DUBIA

## PROCESSUS IUDICIARIJ LIVONICI IN CONCURSU CREDITORUM.

---

Das obige Buch ist ein Werk des Verfassers, welches die Geschichte des Livonischen Concursverfahrens enthält, und die Rechte der Gläubiger in demselben behandelt. Es ist ein sehr wichtiges Werk für die Juristen in Livland, und auch für die Juristen in anderen Provinzen, welche mit dem Concursverfahren zu thun haben. Das Buch ist in drei Theile eingetheilt, und enthält eine sehr vollständige Darstellung des Concursverfahrens, und die Rechte der Gläubiger in demselben. Es ist ein sehr wichtiges Werk für die Juristen in Livland, und auch für die Juristen in anderen Provinzen, welche mit dem Concursverfahren zu thun haben.

---

AUCTORE

C. G. LEUTHOLD.

BIBLIOTH:  
ACADEM:  
DORPAT:

---

Pernaviae,

Typis impressit Gotthard Marquard.

C1812.

CAPITA DUBIA

PROCESSUS IUDICIALIUM  
IN CONCURSU CREDITO-  
RUM.

---

Der Druck dieses Buchs wird unter der Bedingung bewilligt, daß nach Abdruck und vor dem Debit desselben ein Exemplar davon für die Censur-Committee, eins für das Ministerium der Aufklärung, zwei für die öffentliche Kaiserliche Bibliothek und eins für die Kaiserliche Akademie der Wissenschaften, an die Censur-Committee eingesandt worden. Pernau, den 25. März 1812.

J. C. P. Stender, Censor.

---

ПРОЦЕДУРА



С. П. И. Д. К. О. Л. Д.

Est.  
ТМО Мамадукого

255

Типографическое издательство  
Государственной библиотеки

ПРОЦЕДУРА

---

Prooemium.

**E**t si mihi, qui sciam, in vexata concursus creditorum materia volumina repleri posse, nec eam exhaustiri, eo minus in mentem venire queat, systema hujus iudicii scribere, quum perpendam, quid valeant humeri, quid ferre recusent: tamen volup est, pro virium mediocritate ad legum scientiam colendam aliquantulum conferre; quocirca sequentium qualiumcunque observationum satago, quibus haec pauca praemonenda duco. Lege, quam Sacratissimus Ruthenorum Princeps in foro cedentes et dolosos decoctores scripsit a), in Livonia non promulgata, ideoque auctoritatis experte, iudicium concursus iis solummodo normis regitur, quas, praeter jus commune, jus Suecum et statuta Rigensia praebent, quibus accedunt nonnullae, recentiori tempore conditae leges speciales, praesertim, quod ad pacta remisoria induciasque, lex in causa mer-

---

a) Banquerot-Reglement.

catoris Kononow reddita a). At enim illa, non modo semper inter se congruentia, ne principia omnibus numeris absoluta quidem sistunt. Unde sequitur, quam plurima ab observantia judiciorum seu praejudicatis pendere. Enimvero, quod haec collegiorum juridicorum observantia, non ita raro, inveteratus error, legis iurisque rationi refragatur, praeceptum Justiniani L. 13. Cod. de sentent. et interloc. omn. judicum: „si quid non bene dirimatur hoc et in aliorum judicum vitium extendi nefas esse, sed omnes iudices veritatem et legum et justitiae sequi vestigia oportere.“ et mihi dictum putavi, atque hocce opusculum navando, meis oculis, animoque subjeci.

## Cap. I.

Divisio concursus in materialem et formalem, vana, eliminanda est.

Rerum et idearum divisiones permultum quidem ad promovendam scientiam faciunt, sed necesse est, ut ad Logices regulas sint sectae, certusque finis iis sit descriptus: sin minus, lumini magis officiant; quod scilicet supra dictae partitioni evenit. Jcti Romani concursum universim pro

a) Иммигрантов: Указ vom 15ten August 1784.

communione et participatione acceperunt a): deficiente, quem nunc concursum vocant, procesu iudiciario, voci ipsi in corpore iuris Justiniani haec virtus non tribuitur. Postquam vero decurrente Seculo XI iuris Romani studium una cum literis, bonisque artibus resuscitatum fuerat, legum doctores, illud Germanorum institutis applicantes, serius commentari coeperunt de creditoribus concurrentibus, de labyrintho concursus creditorum et sic porro, qua via haec verbi significatio in forum, siholasque irrepsit, ita ut usui hodierno sit tum ille debitoris status, in quo creditoribus instantibus satisfacere nequit, tum ipsum iudiciū inter creditores, et, qui solvendo non est, communem debitorem, exortum, ut de creditis, eorumque certitudine, nec non de praerogativa solutionis legitime disceptetur. Patet, hanc duplicem verbi vim confundi, concursum in materialem et formalem dividendo. Nam inepte de procesu materiali loqueremur, et enunciatione, procesum quendam in specie formalem esse, Logice non minus vapularet, cum speciei attribueretur, quod jam generi insit, quippe ipsam disceptationis legitimae formam, sive ordinem sonanti. Neque sic rem animo complecti possumus, incipiente concursu formali, materiali finem imponi; etenim si hunc pro statu acceperis, palam est,

---

a) L. 7. §. 1. Dig. qui potior. in pign. L. 1. Dig. de usufructu accrescen.

post latam sententiam demum cessare, quod concursus cum quovis alio iudicio commune habet. Caeterum haec divisio non modo nullum usum praebet, verum etiam, cum non liqueat, quinam effectus cuique tribuendi, doctrinam dubiam reddit, ideoque quam plurimum nocet.

## Cap. II.

A quonam momento initium concursus computandum sit.

Communem Doctorum sententiam, in Livoniae foris passim receptam, concursum a propositis edictalibus ordiri, mihi et res ipsa et leges reprobare videntur. Nam, ut taceam, emissionem programmatum per interposita iuris remedia, aut alio modo retardari posse, necesse est, edictales litteras momentum aliquod antecedit, quo iudex, cui constitit, a quo plures creditores solutionem urgent, debitoris bona non sufficere, de illis emittendis decernit. Ad quam causam efficientem, verum concursus, exulata in materialem et formalem partitione, initium, semper respici debet, et huc omnes concursus effectus retrahendi sunt. Quae causa vero facto variat. Quare concursus adest debitore ultro foro cedente et rogante, ut creditores citentur, iisque ex bonis cessis satis fiat. Sin

praeter debitoris praesentis voluntatem concursus existat, a decreto iudicis, secundum quod bona ob-  
signantur, et confecto repertorio curatoris ad-  
ministratiōni mandantur, auspiciandus erit. Sin vero  
ad bona defuncti aut fugitivi debitoris concursus  
cieatur, ad tempus mortis, aut cum in fugam se  
repperit, redeundum est, id quod cum nostris le-  
gibus provincialibus consonat. Etenim ad jus sta-  
tutarium Rigense, usurae, quae iure communi, nec  
non Suetō una cum sorte locantur a), inde a ces-  
sione bonorum, aut immisione ex primo decre-  
to cessant b); praeter quae jus Suecum sancit:  
post debitoris obitum, aut si notorie solvendo non  
sit, aut clam se subduxerit, inscriptionem nomi-  
num in acta iudicialia, hypothecae publicae re-  
portandae causa factam, omni effectu carere c).  
Quae quidem legum praecepta et ad reliquos con-  
cursus effectus, ut nempe debitor simul bonis ex-  
cidat, et singula nomina non amplius executioni  
mandari possint d), esse applicanda, res ipsa pro-  
cul dubio suggerit. De reliquo nil refert, lis mo-  
ta amicabile compositione finiatur., an iudicis sen-  
tentia terminetur: nam et debitoris intentioni, caus-

---

a) L. 18 Dig. qui potior. in pign. — §. 2. von Erbschaften, pag. 143 not (e).

b) L. II. Cap. 52. §. 10.

c) §. 2. von Erbschaften, pag. 142. not (e).

d) Executions-Verordnung vom 1669. §. 9. §. D. pag. 258.

sam transigendo sopiendi, semper tacita inest cessio bonorum; quapropter, incasum tentato pacto remisorio, si concursus efficaciae rationem habueris, ad motam controversiam remigrari convenit.

### Cap. III.

#### De programmate edictali ejusque efficacia.

Ex juris regula: quemlibet iuri suo renunciare posse, altera proficiscitur: neminem invitum agere cogi. Agere vero volenti, ne post longam annorum seriem Camarina moveatur, neve dominia in perpetuum incerta maneant, legibus praefinitum est tempus praescriptionis, a quod nos X annorum, quo elapso ab agendo excluditur, ipsumque ius est peremptum. Ne saltem instituti fines transfiliamus, si hoc spatium, non ut libitum est, sed necessitate urgente et legibus ajuventibus contrahitur. Quam necessitatem iudicium concursus afferre, nihil dubitemus, cum, nisi omnes creditores una adsint, iudex scire nequeat, cuinam bona debitoris sint addicenda, quidve inde separari oporteat. Quapropter per programma edictale, omnes, qui in bona cesia aliquid iuris ex quocunque capite sibi vindicare velint, optimo jure, sub comminatione prae-

clusionis evocantur, ut praefixo termino angustiore, nostris moribus sex mensium a), credita sua profiteantur, quem terminum, cui usus fori adhuc spatium deliberandi addere solet, ipsum praecclusionis decretum excipit. Existit autem hic primum quaestio subdifficilis: utrum hac praeclosure, qui non comparuerunt, creditores, solummodo a massa arceantur, an ipsum jus agendi amittant? Hoc praxis nostratum servare videtur; formula certe, citationi edictali subnecti solita: fore, ut non comparentibus aditus praeccludatur, iisque perpetuum silentium imponatur, tale quid innuit: cui et Nielsenius in compendio procesus Livonici adstipulatur b). At vereor, ut defendi possit. Nam, ut mittam, quae jam supra breviter attigi, iudicii concursus rationem hoc non postulare, ideoque iudicem tale praecius iudicium inferre conantem, a lineis excidere, ac plerosque creditores citari, visum et auditum, se pro re nata ex bonis cessis nil percipere posse c) et ipsa iura repugnant, quae L. 6. Cod. de remis. pign.; „si eo tempore, quo praedium distrahebatur, programmate admoniti creditores, cum praesentes essent, jus suum executi

a) arg. Prozeß, Stadg. vom 4ten Julii 1695. §. 1.

b) Die Prozeßform in Liefland von E. S. Nielsen, im 558sten §.

c) L. 6. Dig. de dolo malo: „nam is nullam videtur actionem habere, cui propter inopiam adversarii inanis actio est.

non sunt; possunt videri obligationem pignoris amisisse.“ satis aperte de amissione pignoris, nec vero de ipsius crediti jactura loquuntur. Jus Rigense itidem praescribit: effluxo stato tempore, eos, qui in termino actionem instituerunt, exclusis illis, qui non tempestive postularunt, bona debitoris sequi posse; juris ipsius damnum nullum intendens a). Quamquam vero praeclosurem potestas, ipsam obligationem civilem tollendi, tribui nequeat, ideoque haec, nulla habita illius ratione, salva maneat, tantum tamen abest, ut talis creditor sub finitum concursum, debitorem in jus vocare et excutere possit, ut contra tum demum illi spes sit, fore, ut sibi satisfiat, cum debitor ad pinguiorem fortunam pervenerit. Nam si recesseris a fraudulentis dilapidatoribus, quos sua poena manet, legibus, debitorem quotidianis alimentis fraudari non sipientibus, benigne cautum est, ne illius bona, si modicum aliquid postea acquisiverit, iterum veniant b); ut adeo jus nostras non permittat, debitorem a creditoribus ad cessionem coactum, de integro ab illis conveniri c). Fac, hanc legem ad alios creditores non posse extendi, tamen indubitati juris est, debitorem ne ab his quidem esse inque-

---

a) L. II. Cap. 15. §. 9.

b) L. 6. Dig. de cess. honor.

c) Erklärung über den rechten Verstand des Gesetzes, vom 28ten May 1637. Cap. 2. §. 3. in fine. L. D. pag. 473.

tandum, nisi ampliuscula fortuna auctum a), ubi ita modus finitus est, ut debitori id, quod dono acceperit, auferri nequeat b). Unde apparet, in cessione rem inter alios actam aliis praeiudicare. Sed quid, si ad bona debitoris noviter acquisita, denuo concursus oritur, creditoresne, quibus antea plene satisfieri non potuit, caeteris, qui tunc temporis praecclusi fuerunt, aut obligationibus postea natis, praeferrri queant? Si exceperis credita pure privilegiata, quae reliqua omnia antecedunt, non puto, protopraxian statuendam esse, quoniam, quod ad hypothecarios, cum bonis debitoris sub hasta venditis, etiam pignora et hypothecae extincta sunt, legesque de eiusmodi praeserentia silent: qua de causa cuique pro modo vigilantiae solutio erit designanda.

De alia disceptatione: an praecclusionis decretum et rem ex jure in re petentes ferire possit, legum stat sententia: separationem non prodesse, nisi petentibus c), ideoque is, qui praefinito tempore suum non defendit, ex culpa sua detrimentum accipiet. Ausim tamen, mitiorem opinionem tueri, vindicantes tamdiu esse audiendos, quamdiu res adest, ut ne praeter necessitatem creditores alterius damno evadant locupletiores.

---

a) L. 4. Dig. eodem.

b) §. D. pag. 472.

c) L. 1. §. 16. Dig. de separat.

## Cap. IV.

## De pactis remisforiis, induciisque.

Singularia iuris Romani de pactis inter futurum haereditatem et creditores haereditarios praecipua a) usus fori universim ad concursum extendit, quod et legibus vernaculis comprobatum videmus. Nimirum epistola Regia d. d. 9. Nov. 1685 b) de pacto remisforio indulgendisque moratoriis sancit: 1) creditores praerogativa pares pro portione debiti eandem quotam partem remittere debere, ita ut dissentiens ratam excutere possit, de reliquo vero excludatur, salvo pacto inter caeteros inito; 2) creditoribus potioribus pactum recusantibus plene satisfieri debere, citra respectum ejus, quod inter reliquos convenerit. 3) creditoribus inferioris conditionis rati habendum esse id, quod potioribus placuerit. Dein lege in concursu negotiatoris Kononow data, quam ante allegavi, constitutum est: majorem partem creditorum, puta quadrantem, quibus besis ex cumulo nominum debetur, aut bessem, debitorum dodrantem exigentes, caeteris praerudicium inferre posse, misa distinctione creditorum, quoad qualitatem praerogativam. Equidem satis

---

a) L. 7. §§. 17. 18. 19. LL. 8. 9. 10 Dig. de pactis.

b) L. D. pag. 421.

habeo, super hac re latissime patente, quaedam per lancem saturam notare.

Primum non a re alienum videtur, pactorum remisforiorum in voluntaria et necessaria divisionis mentionem facere, cum qua aliam in extrajudicialia et judicialia noli commutare. Necesarium pactum nempe non nisi iudice interveniente cogitari potest, qui praevia legitima causae cognitione certior factus, debitori absque culpa rem defecisse, et creditoribus per programma rite evocatis, minorem partem creditorum cogit, placita majoris partis rati habere, ita tamen, ut ratione quotae, quae detrahatur, par omnium conditio sit, omninoque modus jure definitus servetur a). Secus voluntarium iudici confirmandi ergo offertur, qui tunc diligentius circumspiciat, ne tale pactum, quod magistratus auctoritate iudiciale fit, necesarii speciem prae se ferens, ad consequentias producat, et iuri cujuscunque tertii praejudicet; quapropter creditoribus solemniter citatis, iisque omnibus consentientibus, utut sint pacti leges, approbatio iudicialis quidem accedere potest b); contra vero, si uni vel alteri iniqua conditio inferatur, tuto deneganda erit.

---

a) Die obangeführte Resolution vom 9ten Nov. 1685 und Erklärung über des Gesetzes Verstand Cap. I. §. 2.

b) Proceß, Stadge von 1695. Cap. 23.

Quod deinde ad effectus pacti remisforii spectat, voluntario is exitus est, ut id, quod remisum fuit, debitor posthac ditescat, nec ne, amplius peti nequeat; nam tali pacto, quod ex libera agentium voluntate procedit, renunciatio inest, ubi regulam iuris applicare licet: ad semel renunciata non patere regresum a). Quae sanctio, an ad remissionem necessariam proferenda sit, varie et ambigue disputatur. Qua mihi videtur, distinguendum esse, inter eos, qui ultro paciscuntur, et qui invitati ad plurimam suffragia accedunt. De illis, quorum eadem est ratio, sanctio manebit; his autem fas erit, ejus, quod remitti debuit, solutionem poscere, si debitori facultates accreverint, cum hoc videatur tantum pactum seu donatio, non sit, cumque nulla causa inveniatur, cur beneficio remissionis plus tribui debeat, quam cessione bonorum. Caeterum ingenue fateor, mihi legis infra laudatae b) dispositionem, illum, quem rata pars secuta est, pacto excludentem, non esse perspicuam.

Tum animadversionis copia est, iuri vernaculo jam primum memorato, legem anno 1784 latam, non nisi surrogasse, ita, ut illinc praescripta de qualitate potiori servanda, hinc methodus, majorem partem computandi, recte petantur.

---

a) conf. Ius stat. Rig. L. 3. Tit. 5. §§. 1. 2.

b) Resolution vom 9ten Nov. 1685.

Postea in disquisitionem venit, an et creditoribus, qui hypotheca publica muniti sunt, pactum ineundi necessitas adhiberi possit, quod negari oportet. Nam, etsi epistola Regia, quam toties usurpavi, discriminis non meminerit, lege d. d. 11. Maii Ao. 1665 a) cautum est, ne illius jura, qui hypothecam actis publicis inscribi curavit, ullo modo minuantur, quod vel ad creditores hypotheca tacita legali se tuentes, qui cum illis pari pasu ambulant, certo porrigendum est, jure communi omnino praecepta de pacto remisorio ad chirographarios restringente b). De reliquo haec de hypothecis generalibus solummodo notanda fuere, quippe cum ultro pateat, in hypotheca speciali aut pignore tertium aequali iure uti non posse, ideoque pigneratori praejudicium non inferre.

Addere denique placet, nostrates leges de pactis remisoriis atque induciis promiscue statuere, ut juris Romani c), quantum ad indulgendas inducias, nullam inter hypothecarios et alios creditores differentiam servari, regula exulet.

---

a) L. D. pag. 476.

b) L. 10 princ. D. de pactis: „haec enim omnia, qui hypothecas non habent, conservanda sunt.“

c) L. 8. Cod. qui bon. ced. possunt.

## Cap. V.

## Varia de prioritare creditorum.

Jus statutar. Rigense a) de prioritare certantes creditores, orationem continuandi gratia, 18 numeris discernit, quos secundum iuris communis pragmaticos haud perperam ad VI clasles reduce-  
 ris; nempe: I) vindicantium et creditorum pure privilegiatorum, n<sup>ris</sup> 1 usque ad 7 II) creditorum pignore qualificato gaudentium, n<sup>ris</sup> 8 — 11 III) hypothecariorum publicorum, n<sup>ro</sup> 12. IV) hypothecariorum privatorum, n<sup>ro</sup> 13. V) creditorum privilegio personali seu exigendi munitorum, n<sup>ris</sup> 14 — 17. VI) nudorum chirographariorum; qui ordo, haud scio an, tuto et indigestae moli glosarum, iuri provinciali de haereditatibus additarum b) accomodatur. Qua in re ita versabor, ut primum pauca de viribus singulorum creditorum, quae leges vernaculae, modo commemoratae recensent, moneam, nonnulla insuper adspargam, quae ex iure Romano suppleri debeant, denique rationem ineundam, si bona ne primo quidem ordini sufficiant, leviter tangam.

---


a) L. III. Tit. 10.

b) §. 2. pag. 140. Seqq.

Quod ad vires creditorum singulatim spectat, ante omnia ea occurrunt, quae de haereditate disposita sunt. Si de haereditate indivisa loquaris, patet, hanc, quã talem, unius cohaeredis creditoribus cedere non posse, sed primum iudicio familiae erciscundae peracto, quemque cohaeredum partem suam jure dominii vindicare, et ea solummodo, quae inde in debitorem communem redundant, ad ejus creditores transire. Hic dumtaxat quaeritur: an post erectum citum, si immobilium dominium debitori ea lege translatum fuit, ut cohaeredibus, loco portionis, pecuniam, quam haereditariam vocant, certo tempore inde solvat, haec pecunia in concursu privilegiata sit? Qua distinguendum est: utrum de minoribus agatur, nec ne. Minoribus statuta Rigensia protopraxian tribuunt; quo iure utimur: caeteris vero privilegium denegetur oportet, nisi sibi alio modo vigilaverint, quippe cum iuri Romano contrarium sit, in legibus Suecis a) non nisi de haereditate indivisa statuatur, et juris Rigensis sententia, qua minoribus cavetur, ad alios de jure proferri nequeat. Quod praeterea jus Rig. sub n<sup>o</sup> 7 de mercede famulorum et de pretio convictus statuit, ex verbis: „nisi creditor diuturno silentio debitoris fidem secutus“ mihi rectius ad novissimum annum restringi, quam de serie plurium

---

a) Cap. 21. §. 2. Von Mishandlung etc. L. 2. pag. 413.



annorum accipi videtur, quod et iuri affini Lube-  
censi a) congruum est. Idem obtinebit circa lo-  
carium, praeterquam quod bona illata majorem  
unius anni securitatem praestant. De reliquo iux-  
ta jus provinciale locarium et convictus pretium  
tertia classe locandi sunt; e jure Equestri vero famuli-  
tii merces caeteris debitoribus praeit. Porro non  
praetereundum est, glosam iuri Sueco adjectam  
quidem iis, quibus ex legis dispositione res pigno-  
ri tenentur, etiam accensere, pro quibus res iudi-  
cata militet; sed usus forensis hoc optimo jure re-  
spuit, legibus tale quid nullibi disponentibus; ut  
ejusmodi creditum, nisi aliunde robur asumat, non  
immerito ad ultimam classem ablegetur. Dehinc  
animadversioni locus est, praxin, hypothecariis pu-  
blicis et privatis eos interjicientem, quibus pignus  
iudiciale vel praetorium per immisionem contra-  
ctum est, omni auctoritate destitutam esse, iuribus  
et Romano et Sueco contradicentibus, quae hos or-  
dini hypothecariorum publicorum adjungunt. Ac-  
cedit observatio, ad statuta Rigensia hypothecarios  
privatos sane quidem classem praelatam efficere,  
jus Suecum b) vero illos semovere, quibus in secu-  
ritatem fundi oppositi sunt, quippe qui chirogra-  
phariis aequantur. Tandem addere refert, nihil

---

a) L. III. Tit. I. §. 11.

b) Cap. VII. not. (a) von liegenden Gründen L. 2. pag. 151.

opus esse, ex cambio agentibus, classem singulatim designare, quoniam cum illis, qui V<sup>to</sup> ordine se privilegio personali tuentur, eodem censu veniunt.

Quod ad illa credita attinet, quae leges nostrates non commemorant, ex iure Justiniano praecipue vindicandi sunt I<sup>mo</sup> ordini, fiscus ratione tributorum a); II<sup>do</sup> idem ob debita ex contractu vel administratione in bonis postea acquisitis b), nec non minores in rebus pecunia pupillari emtis c); III<sup>tio</sup> fiscus ex contractu vel administratione in bonis antea partis d), liberi de peculio adventitio e) ac legatarii; V<sup>to</sup> respublica creditrix f); atque VI<sup>to</sup> fiscus poenarum petitionis causa g).

Coronidis loco adjicio, mislo iure Romano, ex quo sumtibus funeris ordinem ducentibus, reliqui postponuntur, creditoribus primae claslis, si bona non omnibus sufficiant, pro rata solvi, ita ut ne onera realia quidem praerogativam usurpare possint, quod certe legi Suecae de pacto remisforio statuenti consentaneum est.

---

a) L. 1. Cod. si propt. publ. pens.

b) L. 28. D. de jur. fisci,

c) L. 7. pr. D. qui pot. in pign.

d) L. 2. Cod. in quib. causi. pign. v. h. tac. contr.

e) L. 6. §. ult. de bon. quae liberis.

f) L. 38. §. 1. Dig. de reb. auct. iud. poss.

g) L. 17. Dig. de jur. fisci.

---